



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Trigesimum. Encomium Marianum Trigesimum Septimum. Regina
Angelorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

tescere quærimus. Tu illos misericordes tuos oculos quos à nullo unquam desperatissimo peccatore avertere potuisti, ad nos miseros converte, ut tuis freti precibus & præsijs unico filio tuo reconciliemur, æternasque pœnas quas millies & ultra hætenus meruimus evadere mereamur. Loquere Domina quia audit filius tuus & quæcumq; pro nobis petieris impetrabis, gratiam in præsentibus & gloriam in futuro. Invoca bonum nomen ejus super nos, ut curemur à vetusta hac lepra carnis & spiritus. Te Domina exorantè omne jugum nostrum computrescat à facie olei divinæ misericordiæ: renovetur ut aquilæ juvenus nostra ut novi nova voce novum canticum novis civibus aggregati illic ubi nova sunt omnia, jubulum sempiternum celebrantes in cymbalis jubilationis concinamus.

CAPUT TRIGESIMUM.

*Encomium Marianum Trigesimum
Septimum.*

REGINA ANGELORUM.

Iam paulatim ad finem encomiorum Lectaniarum Lauretanarum properamus.

nec jam his tam diu uti prioribus immo-
randum, cum plerique restantes jam in en-
comijs hucusque pertractatis attacta sint.

Reginam vero esse Virginem Deipa-
ram, quis ambiget qui eam Dei Matrem at-
tendit? ut talis enim jure naturali & divi-
no Regina est.

Jure naturali quidem, utpote *David Re-
gis* stirpe progenita: *Bernardus serm. sup. sig-
mag.* Quid ait *sydereum micat in generatione
MARIÆ?* plane quod ex regibus orta, quod ex
semine *Abrahae*, quod generosa ex stirpe *David*.

Adde quod *S. Iosepho* filio *David*, *Matth.*
1. desponsata, cum divina lege cautum fue-
rit *Num. 26.* ut de tribu quisq; sua aut fami-
lia uxorem duceret: Et quidni Regina sit
quæ illum genuit qui de seipso ait: *Ego con-
stitutus sum Rex ab eo Psal. 2.* qui *Matth. 2.* di-
citur *Rex Iudæorum Ioan. 12. Rex Israel. Apoc.*
19. Rex Regum & Dominus Dominantium. Sed
& jurisprudentum axioma, *partus sequitur
ventrem*, si verum est, ut est: indubie illa
quæ Regis Mater & Regina est: Qualis
partus, talis & uterus, si regius partus, & re-
gius uterus.

Nec minus jure divino utpote quæ Dei
Mater

Mater est: Mater enim Dei, Regis, hominis: Regina cœli & hominum sit oportet: *Hec in cœlis Regina Sanctorum ait Rupertus in Cant. 4. & in terris Regina Regnorum est: quando quidem est Mater Regis coronati, quem constituit Dominus super opera manuum suarum, ac proinde Regina constituta totum jure possidet filij regnum. Et Damasc. lib. 4. de fide cap. 15. Verè inquit omnium rerum conditarum Domina effecta est; cum Creatoris Mater existit. S. Petrus Dam. serm. de Nat. M. V. fecit ait in te magna qui potens est, & data est tibi omnis potestas in cœlo & in terra. S. Bonavent. in spec. c. 3. Virgo est revera Domina cœlestium, terrestrium & infernorum.*

Igitur REGINA ANGELORUM Virgo beatissima ab Ecclesia denominatur: tum quod Angelis ipsa utpote cœli terræque Imperatrix & Regina imperet: nec Angelis sed & Patriarchis, Prophetis, cunctisq; cœli civibus, quemadmodum enim Regi omnes regno suo inhabitantes constat esse subjectos, sic & Regina: uti ergo Deo cœlique terræque & creatori & conservatori, quotquot cœli terræq; ambitu continentur, sunt subjecti, sic & Beatissimæ Matri prædi-

prædicti Imperatoris & Matris & sponsæ & filix: tum etiam quod virtutes & prærogativæ in Angelis, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Martyribus, Confessoribus Virginibus, alijsque cœli civibus existentes in majori excellentia & eminentia in beatissima Virgine inveniantur, & quidem de Angelis paucis jam ostendendum est.

Mirabiles teste *Petro Berchorio* Angelorum sunt operationes ac virtutes, omnia enim faciunt sine mora & dilatione. Omnia adversa coercent sine resistantia & contradictione: semper nobis assistunt & serviunt sine intermissione. Humanæ naturæ sunt custodes à Dei ordinatione: libere Deo famulantur sine coactione: proficua & utilia nobis procurant summa attentione.

His adde quæ hic superaddit *Magister* de bono Angelo cuilibet ad custodiam deputato: quod nimirum ad bonum nos excitat ne in vitijs dormiamus, spiritualiter nos reficit ne sub onere recumbamus. Arcet Dæmones, ne læsionem ab eis subeamus, instruit in ambiguis ut certitudinem habeamus. Conducit in via ne per invia deviemus. Item iste assistit nobis in tristitia
positis,

positis, ut consolemur, compatitur delinquentibus ut emendemur. Astat præliantibus ut adjuvemur, sanat vulnera ne moriamur, item iste peccata nostra nobis reducit ad memoriam ut erubescamus, voluntatem Dei annuntiat ut eam impleamus. Impedimenta aufert ut Deo liberius serviamus. Frequenter nos visitat & nobis præcavet ne offendamus: quæ omnia longe majori excellentia Beatissimæ Matri convenire fat ut reor varijs in locis ostensum est, quæ quilibet ipse facile cognoscet, si varijs locis dicta ad memoriam revocet.

Amplius quemadmodum docet divinus ille *Dionysius Areopag. de div. nom.* Angelus inquit est imago Dei, manifestatio occulti, luminis speculum, purum, splendidum, immaculatum & incontaminatum recipiens totam se fas est dicere speciositatem beneformata Deiformitatis. Longe hoc ipsum verius dicere est de Angelorum Regina Virgine Dei-para, ut bene de ipsa verificari possint, quæ de æterna Dei sapientia dicta sunt quod nimirum sit: *Candor lucis æternæ, speculum sine macula, & imago claritatis, vel bonitatis Dei:*
unde

unde optime de ea pronuntiavit *ArchiEpsc. Florent. S. Antoninus*, *Considerandum est in-*
quiens MARIAM perfectissimam fuisse DEI
imaginem, ab ipso Deo summa arte, ac singula-
ri providentia depictam: sed & Dionys. Areo-
pag. cum Hierosolymam advenisset ad vi-
dendam Dei matrem tanta admiratione
illius intuitu captus fuit, ut eam non purum
hominem sed Deam esse credidisset nisi a-
liter edoctus fuisset: Testor Deum inquit qui
aderat in Virgine nisi me divina docuissent elo-
quia, hanc Deum verum credidissem: quoniam
nulla major videri posset, gloria beatorum,
quam felicitas illa, quam ego tunc degustavi. Et
S. Epiphanius Virginem Deiparam compa-
rat Moysi è monte Synaj facie tota splendi-
da redeunti: Ioseph ait MARIAM aspiciebat,
splendorem à facie ejus in modum radij solis e-
xire videbat: sicut à facie Moysi quando de mon-
te Synaj descendit, ubi cum Domino locutus
fuerat. Specialiores tamen Angelorum o-
perationes & virtutes sunt.

Primo quod nos ab omnibus insidijs
 inimicorum visibilium & invisibilium de-
 fendant, & pro viribus liberare contendunt,
 juxta illud *Ps. 33. Immittet Angelus Domini in*
 circuitu

circuitu timentium eum & eripiet eos, hoc est per circuitum timentium Dominum Angelus ad auxilium eorum & protectionem deputatus sese immittet, & velut castrametabitur per circuitum illorum ne possint ad nocendum illis accedere adversarij: immittet etiam Angelus & incutiet timorem & terrorem in circuitu servorum Dei in adversarios, qui undequaque circumdederunt eos & eripiet eos id est: non contrahet manus, quousque à periculis immunes eos relinquat: idem sed longe majori diligentia praticari à Virgine superbenedicta jam satis superque ostensum est qualiter ipsa per modum clypei clientes suos defendat, jacula hostium retundat, & ab omni tentatione eos securos & victores reddens, bene à Sapiente Clypeus cunctis in se sperantibus appellata.

Secundo Angeli non solum à malis nos liberare curant, sed etiam ad bona adducere satagunt & laborant, expressam hujus effigiem in *Angelo Raphaelè Tobiam*, ducente & reducēte, eum à devoratione piscis, & à Dæmonis suffocatione & potestate eripiente, eum qualiter in matrimonio se gerere,

rere,

rere, qualiter Deo pro beneficijs gratias agere deberet docente: quin etiam in tribulationibus quæ inveniunt nos nimis quotidie nos solantur & pro posse liberare fatagunt. Jam REGINAM ANGELORUM mentis contemplemur intuitu, & procul dubio eam in his functionibus Angelos in infinitum superare videbimus: O quot miliones animarum jam inferni faucibus recepti essent, & in perpetuum arderent; nisi Virgine interveniente, precibus & auxilio suo succurrente: ut verissime de Beatissima hac auxiliatrice dixerit *Doctor Mellifluus Bernardus serm. 4. in Assumpt. Per te cælum repletum, infernus evacuatus est, instaurata ruinae celestis Hierusalem, exspectantibus miseris vita data: sed nec in tentationibus afflictionibus, adversitatibus ac difficultatibus suis deest Angelorum & afflictorum Regina; ut merito quilibet afflicto ac desolato milies, & ultra ingerantur melliflua melliflui Doctoris sæpius jam reperita verba si insurgunt venti tentationum, si scopuli tribulationum; respice stellam, voca MARIAM, non recedat ab ore.*

CAPUT